

V
B
3
C
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS






V
B J
C

DOLOR

FVNERVM

COMES,

LACHRYMARVM

PRINCEPS,

PARENTALIVM AFFECTVVM

DUX & IMPERATOR,

Ad Triumphale Feretrum

CELSISSIMI ac ILLVSTRISSIMI [illegible]

D. HIERONYMI AVGVSTI

LVBOMIRSKI

In Wisnicz & Iaroslaw Comitis,

S.R.I. PRINCIPIS,

CASTELLANI CRACOVIENSIS,

SVPREMI EXERC[illegible]

Memori Heroicæ Virtutis [illegible]

HEROICUS.

Ad ripam exundantis in lachrymas SRENIAVÆ

Præficâ Melpomene


DECANTATUS

à Polona Provincia Scholarum Piarum.

Anno 1708. 18. *Junij.*

VARSAVIÆ

Typis Collegij Scholarum Piarum.



Sublata ex oculis virtus, tantum ſui deſiderium relinquit, ut laudari omninò ſine aliquo DOLORE non poſſit. *Remondus in funere Philippi Gvaſtavil.*

Funus nobis, Ille eſt; magnoq; vulneri continuus DOLOR. *Puteanus in funere Lipsij.*

Lugete populi! hic ille Libertatis Vindex! qui ut ſui quieſcerent, nunquam quievit. *Emm. Theſaur.*

Dilecta valete FLVMINA. *Claud. lib. 2. in Eutr.*

Triſteſq; DOLOREM
Quantumvìs mœſti, fac alto CORDE premamus.
Homer. Iliad. 5.





LESSUS FUNEBRIS.

I.

PAllete fatis purpuræ!
Mors vivit in Senatu!
Sellas Honoris occupat,
Magni jacent Statores!

II.

Ditesce gemmis palpebra!
Non pauperem reposcunt
MITRÆ dolorem PRINCIPES,
AVRELIIq; Nomen.

III.

DVX cessit. hinc absq; ordine
Confuse vade mæror!
Luctus frequentes militent,
CLAVAM regente Fato.

IV.

Extingue frontis lumina,
Liqvate cordis imber!
Somno quiescens funebri,
Noctem precatur VMBRA.

V.

Cubent ut OSSA mollius,
Pupilla stillet undis!
Guttæ cavabunt marmora
Emollientq; bustum.

CERÆ

VI.

CERÆ parentes ardeant !
Quæretur inter umbras
Sepulta GEMMA pulveri,
Damnum Lechi CORONÆ.

VII.

Ad IUSTA censum funebrem
Mortis citat tribunal ;
SRENIAVA gemmet lachrymis,
Dolor tributa pendat.

VIII.

Heu ! quam severâ parcitis
Crudelitate Parcæ !
O URNA fatorum CAPAX
Quàm grande FLUMEN hauris !

IX.

En cæca mors ! quæ Lechicos
Nequit videre SOLES ,
Jam crevit in tantùm, ut premat
CELSISSIMOS Gygantes.

X.

Sed quid querelas fundimus ?
Non audiet loquentes ,
Dum se coronat Atropos
Et in Mitra superbit.

XI.

Pacem quietis MANIBUS,
Felix precemur ævum.
Æternitatis influat
Faustum SRENIAVA littus.

PRINCEPS CELSISSIME,

FVNDATOR MVNIFICENTISSIME,

ILLVSTRISSIME CAPITANEE BOHVSLAVIENSIS.

PArentalis Dolor, *quamvis inter atrata hæc mortuali squallore iusta, densis offundatur nubibus; adhuc tamen orbitatem suam uno, sed omni sole Jllustrissimo solatur Sidere, Te superstite, TANTI PATRIS FILIO. Ploravimus super GENTILITIA CELSISSIMÆ DOMVS FLVMINA naufragium MAGNI FVNDATORIS. Duro, extra Niobes commentum, obriguimus marmore; quandò geminato funere in CELSISSIMA GENITRICE TVA LAPIDEM ANGVLAREM amisimus. Sed reparas Tantorum iacturam Nominum; siccas obrutos lachrymarum procellâ oculos, æmulis splendoribus par UTRIq; Polone Alexander. Habemus Te alterũ rarissimis magnæ mentis dotibus Phænicem è Magno Maximi GENITORIS Cinere; restauras occasum illius pari* Celsissimæ *Indolis meridie. Vivit ille in ipsa funeris sui morte; & Laureatum ex sarcophago attollit verticem; quia totam in Te supremo fatorum anhelitu transfudit animam; totus immortalitate meritorum in Te immigravit. Purpurâ & Mitris decoras Jpsius Virtutes unà cum sangvine derivâsti, cum Natalibus Ceris ferreum ad cruenta Martis opera induisti animum; omnemq; illius faciem ita vivâ lineamentorum circumfers repræsentatione, ut omninò ambigamus mortuum, cùm gloriosis rectèfactorum suorum miraculis totus in Te videatur revixisse. Jn florido annorum Tuorum vere virescunt iam triumphales Tanti Bellatoris Laureæ,*

quas

quas armatis in Martis campo succidit laboribus. Effulget in Oriente iuventutis, veterani consilij lucidissima perspicacia, quo Patriam obscuro fatorum intenebratam vespere serenabis. Desinent profundo gemitu PRINCIPEM ROMANI JMPERII SOLEM, GENITOREM TVVM CELSISSIMUM Austriacæ deplorare Aquilæ; viduata suo HERCVLE DVCALIS REGNI CLAVA non ampliùs suam fortitudinem enervi litabit Morti; publica Legum & Libertatis Sacraria ereptum sibi à Superis Tripodem, coram Cælo non conquerentur; quia Tu hæc Europæ & Patriæ damna, prodigiosus ex omni Cæsar librato & in hostes ferro, & pro Civibus consilio, compensabis. Restituis Martem extinctum Romulus, Scipionem Africanus, Traianum Nerva, AVGVSTINVM Augustus & PRINCIPE TIARA, & coronatâ Virtutum maiestate GEORGIVS. Sentiet vindicem Tui Martis hastam, cruento confossus vulnere, si excubans contra aureum Regni Nostri pomum, hosticus è latebris prorumpere audebit Draco; videbit conjurata in Lechiæ perniciem Asia, quantus ad extremam illius cladem ex Avitâ Tethyde Achilles prodieris; & tunc primò barbari isti Phryges sapient ad immortale Nominis Tui elogium, postquàm ferreis Te Duce plagis vapulabunt. Jrrugiet iterum discusso fatorum somno infractus HIERONYMI Leo, & pavore dejecta cadet in adorationē Tuorum trophæorū rabies; Tu verò æmulâ DIVO PARENTI felicitate, Rex eris non armorum tantùm, sed & animorum. Reddes pupillis Consiliorum Sanctuarys oracula ipsa loqventem AGVSTINVM; quandò pro Aris & Libertate facundior perorabis Cyneas; & apertum Jani Templum aureâ Prudentiæ clavi obserabis. Prævenis jam nostra auguria præsentibus operum documentis; quæ futura fatidico

recen-

recensemus calamo, anticipata exhibitione repræsentas; quando non Patrium tantùm Orbem, sed etiam distermi-nata longis terrarum finibus Imperia, immensitate Tuæ gloriæ implevisti. Vnus Tibi Magne Macedo non sufficit orbis; cùm amplitudinem Tuarum Virtutum Polonia non posset capere; aliud quæsivisti Regnum, in quo sufficiens Tuo animo theatrum reperires. Adijsti Cor Europæ Galliam, ipse LUBOMIRSCII SANGVINIS COR & ANIMA; & tantum Tui invisceraâsti amorem, ut avulso Te, vitam sibi eripi autumaret. Plus enim ipsi cum AVITO SRZENIAVA affudisti gloriæ, quàm ex illo politissimæ Civilitatis fonte derivâsti. Effloruerunt novo decore nativa Galliarum Lilia, cùm Nobilissimo AMNIS TUI decursu alluerentur. Puduit illa, Principes Florum, satis ambitioso compellari titulo, cùm Principem Tuæ Jndolis, ingenij, activitatis, & omnium cultissimarum dotum Florem, Regio suo cultu non possent exæquare; ideoquè quoties illis Reginam Tuam in Purpurâ Virtutem obiecisti, pavido consternatæ metu pallorem in ipsis folijs testabantur. Applauserunt festivo Tuo adventui docta Parisiensis Sorbonæ Numina: Jam Principi Tuæ fronti eruditas Academus inclinabat lauros; nisi infensa rebus humanis fata cupressum lauro innexuissent, deposito in tumulum CELSISSIMO GENITORE. Emori pene Tecum videbamur, tanto sauciati vulnere. Iam toto SRZENIAVA liquidos à corde intimo fundebamus gemitus, nisi Tu redux ad solamen orbitatis nostræ, ad CELSISSIMÆ DOMUS auxilia, ad lachrymas Patriæ oculis exhauriendas præstò advenisses. Veneramur igitur in DIVIS CELSISSIMI PATRIS CINERIBUS Te superstitem Calasantinæ Religionis Patrem & Fundatorem. Accusamus iniqua mortis decreta, quòd nobis Vitam animæ, animam Polonæ

Pro-

Provinciæ munificentissimum eripuerit Mæcenatem; Sed erigimur in melioris spei certitudinem, dum æqualiter in nos profusa Tui CELSISSIMI SRZENIAVÆ exundat munificentia. Stetimus à primis erecti fundamentis beneficâ Stanislai Palatini Cracoviensis Proavi Tui Celsissimi dexterâ in Podolinensi Collegio; Cui non satis fuit custodibus sui Patroni Aquilis umbrâ nobis sub obtentu alarum providisse, nisi etiam supra Rupellam Carpathicorum montium elevâsset; quandò aureâ pennâ amplissimam votivæ nostræ paupertati inscripsit Dotem. Post VLADISLAI IV. Fundatoris, secunda hæc in Regno Fundatio, primâ obligatis cordibus imposuit Palatinæ gratiæ memoriam. Loquentur muti Scholarum illarum lapides, pretioso Vestrarum Charitum attacti radio, plus quàm Paterna ad nostri erectionem impendia, quòd Stanislao Amphione Podolinenses Thebæ surrexerint in Musarum ædificiũ. Non iam lauro Delphicâ redimiet, sed coronâ devinctissimorum Nomini Vestro Filiorum cinget triumphatricem Lubomirsciorum Munificentiam Ressoviensis Apollo. Cynthum ille in sinu Vestro, tripodem in protectione Georgij Ducis & Mareschalci Magni invenit; postea à Celsissimo Parente Tuo superadditis beneficijs amplissimè cumulatus: & sicut nos Principi Vestræ Residentiæ adlateritios fecistis; ita semper à corde habetis. Interamnense Collegium, quot alveis in eucharisticon Vestrum dimanabit! nominis deductione palàm facit. Hinc Georgio Succamerario Regni fluet Oceanus gratitudinis; hinc coronatas immortalibus sertis habebit Classes, quæ Nomen illius ad felices insulas Famæ deportabunt; hinc sole clariùs videbit Europa, quòd innatum sit Vobis Principes Celsissimi minimam Scholarum Piarum Religionem continuatis fovere amoribus. In Vestro nata, in Vestro adolevit sinu; Vestro pariter immoritura obsequio

Demississima ad plantas Tuas Principes

Scholarum Piarum
Polona Provincia.

CAR-

CARMEN PARENTALE.

ARmorum Proceres! belli Gradive minister!
Totus inextinctis per quem Septemtrio rixis
Ardet, & in populis regnant affinibus iræ,
Nec ponunt sibi fata modum, sed lege sinistrâ,
Fascibus impositas patitur Fortuna Secures,
Tantisper mitesce ferox! violenta relinquant
Tela manum, date bella moram; dum justa Dolori
Pendimus, & gelido lachrymas affundimus *Amni*.
Miscentur tumulis Tituli, splendoribus Vmbræ,
Ausaq; Principibus sese pileare Tyaris
Jactant Fata caput. Murex pallescit Honorum,
Dum formidatos regnatrix pallida vultus (est!
Obruit, & Martis quondam, nunc mortis imago
Cujus inundantes non pridem cassida cristæ
Et galeæ cinxêre caput, cui Sanguine Thracum
Irrubuit gladius, dubiæ discrimina pugnæ
Audaci toties vicit solertia motu,
Occumbit! solitoq; priùs victoribus ausu,
Miratur Dux ipse, manum non posse moveri.
Imperij Sacra Mitra jacet! Clavasq; Ducales
Fatorum lex cruda regit! SRENIAVA refusis
In lachrymas dimanat aquis; sua damna Senatus
Luget, & exanimem Virtus heròá Strategum,
Quo toties animata fuit, deplorat ademptum.
Sic ubi Phæbeam denso velamine frontem
Tempestas nebulosa tegit, tardumq; moratur
Vmbra diem, totus tenebris informibus aer
Squallet, & in riguos lacrymans dissolvitur imbres.
Ductor ut edomitis remeavit ab Alpibus Afer,
Romano memores populatus funere Cannas.
Et positis tumulum Pœnus quæsivit in armis;
Indoluit Carthago Duci. Cûm Grajus Achillem
Miles, & Iliacæ deflerent Hectora Matres
Grassatus per castra dolor; quin omine cladis

Extinctos Duces suos, Regna & Provinciæ lugent. Sic Annibalem Carthago, Achillem Græcia, Hectorē Troja, &c.

Territa colliſis tremuerunt Pergama muris.
Druſum Germanicum Roma luxit. Quæ Romæ facies! cùm Te Germania Druſe
Exanimem Latio, cùm lamentabile buſtum
Redderet, & mærens Aquilis Bellona rediret,
Atraq; Tarpejas pulſaret nænia rupes.
Joannem Caſtriotum Epyrus & Albania. Caucaſeæ gemuêre ſpecus, Albana querelis
Immugivit humus, poſtquam feralis in Hæmo
Rumor, & Æmathijs ſonuit vox præfica campis,
Caſtrioto ponente animam; tunc Theſsala Tempe
Funeſtavit hyems, planxit Rhodopeia Thracè,
Quin & barbaricas fatum concuſſit Amyclas.
Mors Celſiſſimi Principis Lubomirſcij *Europam penè afficit.* Hac luctus in morte ſtupent! nec Patria tantùm
Europè, quod ploret, habet; tot regna, tot urbes,
Et populis revocata ſalus, conduntur in uno
Luget non tantùm Patria cum Palatinatibus, Provincijs, Regni Ordinibus; Funere! Sauromatûm ſuſpiria Littavus urget.
Libertas perculſa tremit, pavidumq; ſequuntur
Funus, inornatæ, pompâ ſquallente Curules.
Triſtè gemunt *Cracij Faſces*, Roſsiq; Leones,
Proſna Palatinis mærens ádmurmurat undis.
Non *Chronus* ſua damna tacet, non littora *Dvinæ*.
Luget Eques, Proceresq; togæ, belliq; Juventus,
Impatiens lachrymæ, juſto nunc victa dolore
Cernitur armatos ploratu ſpargere vultus.
Lechia nec ſolùm pluvijs arentia guttis
Etiam gentes vicinæ depoſitâ hoſtilitate indolent Virtuti heroicæ. Ora rigat! luctum pariter Vicinia ſentit.
Crudeles etiam tantis mæroribus iræ
Non renuunt frangi, & duris molleſcere fibris.
Fluctibus in medijs licet æmula ripa Turunti
Adgemit, immitemq; movent hæc funera Volgam.
Hybernam quamvis glaciata rigeſcat ad Arcton,
Durior in fletum Scythiæ pupilla liqueſcit
Hoſtiles exuta minas. Moldava Senectus
Vltorem revocat gemitu; fletusq; Polonos
Viſtula Vandalicæ diffundit in æquora Thules
SRENIAVA pallente pavens. Gemit ipſe Viſurgis
Et propugnati Germanica littora *Rheni*.
Pannonius querulo ſubtriſtior amne *Tibiſcus*
Hauſta Viennenſi lamenta renuntiat *Iſtro*.
Gallia quoq; luctû ſentit, in Filio Tanti Parentis Georgio Lubomirſki. Nec tacitis devolvit aquis hunc *Sequana* luctum,
Quo flet teſte Patrem, magni pars magna Doloris.

Non

Non tenui ſuprema labant faſtigia caſu,
Majorumq; gemit ſonitu majore ruina.
Auditur ſuccifa cedrus; dum ſternitur ilex,
Reſponſat vocale nemus; Phæboq; cadente
Longior in valles à monte revolvitur umbra.
Non Tibimet moreris vitâ *Digniſſime Princeps*;
Sollicitas commune bonum; Mitræq; Ducali
Publica Regnorum & Regum, fortuna parentat.
Cùm fera rixantem findit diſcordia mundum,
Et conjuratas rapit in contraria gentes,
Sciſſaq; fraternis rimatur pectora telis:
Ruperunt elementa fidem, diſcordibus intra
Temperiem dirimunt, & vitæ fœdera morbis,
Immitesq; ſecant, quæ nectunt ſtamina, Parcæ.
O fati leges! atq; adverſantia terris
Iuſsa Poli! nimiùm Superi Te fortè potentem
Leche vidēt, ubi magna Tuæ dant Nomina famæ;
Protinus eripiunt, multo permiſſa labori
Exiliq; moræ, Patriæ Solatia, Cives,
Lætaq; laurigeros revocant ad Sidera Manes.
Purpureus ſingultat Honor. vix nempe Sepulchri
Alternos Lechicus deflevit Scipio caſus;
Funeſtant iterum trabeas atrata dolorum
Agmina, funereiq; diem cum Sole colores
Abſcondunt. Moritur Dux murice Summus, & armis
Ingens fama Ducum! cui mens, & vividus ardor,
Marcellos, Fabiosq; pari virtute coæquat.
Invaſit Regum turres, & ſumma Potentum
Limina, Magnatumq; Caput, non vile papaver
Tarquinium ſuperans faſtu Libitina petivit.
Sprevit vulgares tenebras, tot Lumina Regni
Clauſit, & in cineres, lucem pertæſa redegit
Vmbra. nec erubuit furtivo murice pallor.
Quæq; ſibi conceſſa videt, jam ſumit in ipſos
Iura Duces, Domino falces opponere Marti
Audet, & agreſti decernere prælia ferro.
Tantané vis timidæ fuerit temeraria morti?
Armatas gladijs acies, denſataq; contra
Agmina bellantûm ſine lumine & ordine tolli?

Moritur inter publica Europæ fata & tumultus, ubiq; graſſante diſcordiâ.

Non pridem duo Mareſchalci Lubomirij, *obiêre.*

Summos in Repub. Cives eodem tempore fatum extinxit.

Et nudâ pugnare manu? ruit æmula nempe
Andabatis, cæco Lachesis victura furore.
Nec tamen è tanto partis Heroë trophæis,
Supremum Pæana canet: vincitque, caditq;
Hic simul. alternum pensat victoria damnum.
Virtute, & gloriâ fata vincit.
Virtuti quid fata nocent? sub cardine busti
Libertatis amans, nescit captiva teneri.
Vulnera non patitur, nullo prosternitur ictu.
Nec feretrū commune pavet; de morte triumphū
Calcatâ securus agit, tumuloq; superstes,
Et major terris, metuenda pericula ridet
Ille *Animus*, nullâ solitus formidine vinci,
Qui sese Patriæ toties armatus in hostem
Obtulit, & forti domuit discrimina passu.
Haud quidquam debet Lachesi, tentoria præter,
Corpoream q; domum, tantisper cedere castris
Morborum cogente dolo, dum perfidâ vitam
Carpit, & in spolium corpus Libitina reposcit.
Hoc igitur redimi lachrymis, solviq; tributum
Funebre, permittunt Parcæ. Conferte Dolores
Si quid adest oculis pretij; si pondera vocis
Fletus habet. gemmante natet circumflua rore
Palpebra. squallentes rapiant sibi serica panni.
Purpureos, tragico mutari Syrmate cinctus,
Exutumq; nigris impendere luctibus ostrum
Digna jubet pietas. Et dum funalibus ardent
Illustres tumuli, crebris fervete querelis
Pectora Sauromatûm; Proavæ mollescite Ceræ
In lachrymas, donec Sacra Mausolæa patentem
Expediunt aditum, grandisq; reconditur *Umbra*,
Vnanimis comploret amor. Nunc Lechia Civem,
Imperium Comitem, Defensoremq; renarret,
Nunc doleat Bellona Ducem, Prosapia Numen.
Et Fundatorem, gemitu Calasantia Pallas
Cælo teste, vocet. mæror nunc militet omnis.
Dolor publicus per inundatum lachrymis Sreniavam *velificatur ad portum immortalitatis.*
Et jam funereo gradiens in syrmate, luctum
Indicit Patriæ; lachrymis crescente SRENIAVA
Iam pandit sua vela DOLOR, truditq; phaselum.
Clava regit clavum, prono delabitur AMNE
Marschallis nixus Baculis, & remige Famâ.
Vt

Vt tetigit facili surgentia littora clivo,
In quibus æternum non amissura decorem
DRVSORVM monumenta patent; consurgit ab
Augustæq; gemens infert vestigia moli. (alno,
Cedant hîc veteris, cedant miracula mundi!
Quid mihi Pyramides jactat Nilotica Memphis,
Fatorum si lusus erunt? Ephesina superbit
Quid templis Hecate? si vel scintilla timetur?
Ne ferat admotos præceps Herostratus ignes.
Quid Rhodij Soles? si vix fragmenta Colossos
Metiri valeant? Parijs Tibi fulta columnis
Mausole busta jacent; terris illisa fatiscunt
Pegmata, dum Regum turres mors invida pulsat.
Funestavit hyems virides Semiramidis hortos,
Et Iovis ampla Domus splendorē in rudere quærit.
Hîc LVBOMIRIÆ stant immortalia Gentis
Limina, prælustresq; aditus, quibus æmula factis
Invidies, nec tempus edax, nec fata minantur.
Non hîc Phidiaco stylus irrequietior ictu, — *Mnemosynè, seu immortalitatis memoria, perennatura monumēta Lubomirijs erigit.*
Non Polycleteâ sudarunt arte labores,
Non acies ferri, non vis operosa Myronum;
Illa sed, æternus cui vitam deputat annus
Nobilibus Cedris & Lido dignius auro
Mnemosynè perfecit opus. Cernuntur Avitæ
Signa Domus, solidis instant simulacra Columnis,
Historiâ pingente Viros, ac gesta Virorum.
Virtutes utriusq; Togæ; deducta sub Hæmum
Prælia, cælatus paries & saxa loqvuntur.
Indè procul summâ veniunt ab origine *Drusi*,
Imperiumq; trahunt, & cognita Nomina Romæ.
At generis Princeps Lecheis Advena Regnis — Aurelius Drusus *primus in Lechiam venit.*
Sarmatico graditur cinctu, præitq; Nepoti
Aurelius Druso, sequitur divinior ætas,
Christiadumq; fide rutilans. *Antonius* Agmen — Antonius Drusus *fidem Christi suscipit, Anno* 1002. *septingentis abbinc annis.*
Ducit, & hæredem septem per sæcula Stirpem;
Armatâ stat quisque manu, metuendus in ipso
Marmore bellator. Verùm quid sidera Cæli
Dinumerem? propiora volunt magis Astra videri.
Quantus adest oculis, Proavo maturus honore — Sebastianus Lubomirski *Castellanus Voynicens. Proavus.*
Et Voynicensis, trabeæ fulgore *Sebastus*

Joachimus Lubomirski *Frater Stanislai, Avi defuncti Principis, ad Smolenscum cum Sigismundo III.*

Illustris! Patrio surgit *Joachimus* in ausu,
Et gladio monstrat victas occumbere gentes.
Sub pedibus, concussa labant Castella *Smolensci*,
Præcipitemq; fugam confusus gurgite Volga
Vrget, & Arctoi Proceres, vestigia lambunt.
Fraterno vicina gradu fastigia molis

Stanislaus Lubomirski *Palat. Crac. Avus defuncti Castellani.*

Stanislae premis, *Cracio* præfulgidus Ostro.
Terribilem adversis, debellantemq; superbos,
Illustres animant tabulæ, vivusque character.

Ad Chocimum Osmannum domat.

Ille minax quondam terror, vagus ille Cometes
Eoa de parte jubam dimensus ad Arcton,
Solvitur in fumum, populosis millio castris
Deficit, abjecto fastu, fractâque revertit,
Erectâ, qui nuper Arabs cervice tumebat.
Immensas vidit campis horrescere cædes
Eludi assultus virtute, fatiscere vires.
Audaces langvere minas, nil arma prodesse,
Jam veniam cum pace petit, jam lunat adactas
In cultum cydares rediens Osmannus; & ingens

Eidem suprema Exercituum clava defertur, præsente in Castris Vladislao Principe.

Signa Tibi deflectit Eos: Tibi Patria Clavam,
Imperiumque dedit litnos & tela regendi,
Ipsaque se Princeps submisit gloria Clavæ.

Pientissimus Dux, supra 10 Ecclesias in Polonia erigit.

Nempè probum fortuna sequi, victoria rectum
Svevit certa Ducē. quid enim non vinceret hostes?
Cujus larga manus Divos & sidera vicit.
Promovit Comes armaDEVS; quem munere largo
Sancta Palatini toties pertraxit ab astris
In terram pietas, magno radiantia sumptu
Cælitibus, dum Templa parat, multiplicat Aras.

Fundator Collegij Podolinensis Scholarum Piarum.

Non latet; in valles quamvis deducta profundas,
Inter Carpathij tegitur montana Scepusij;
Turribus, & summis Tua munificentia tectis
Assurgit, laudesque Tibi devota renarrat.
Parte aliâ, tumidi Domino, phalerisque, Veredi

Georgius Lubomirski *Dux, & Marescalcus Regni.*

Terga premens, vibrat pretiosa *Georgius* arma.
Edomitas victor soleis ultricibus hydras
Elidit Sonipes. Vecors Erymanthidos hæret
Bellua, dejectique tacent sub calce Leones.
Gestorum seriem cum majestate Senatûs,
Æternaturus color, ac idea perennis,

Exe-

Exequitur, proditq; oculis. Hinc *Flumina* pugnant
In pelagū; trepidat SRENIAVAM pallida Balthis.
Hinc exarmatis flet Taurica vincta pharetris,
Indè rebellantes fractâ carragine Servi
Mandunt fœdifrago victores ore lupatos.
Pannoniæ tumidi decrescunt vertice colles,
Quæque lacessivit præceps, his quærit in armis
Et vitam, & tutum redeundi *Dalmata* callem.

Vandalicis, Scythicis, Cosaticis, Hungaricis trophæis celeberrimus.

Mnemosynes manus urget opus; luctūq; recentē
In planum deducit ebur, jam Scipio dextrâ
Heraclij regitur, dat eum fortuna, *Josepho.*
Francisci jam vivit honos. Heròâ renidet
Frons in *Alexandro*, & Virtus in imagine spirat.
Hæc ubi conspexit pulchro fulgore parari
Signa DOLOR: Proponis (ait) solatia fatis
Mnemosynè Regina meis, impendia tanto
Æqua moves operi, fabricans Heroibus ævum.
At me justa gravant, heu! lamentarer iniqua
Lex fati nisi nota foret, Superumque voluntas.
Non moror elogium, Cedris inscribe, vel auro
Drusos, vita senex Pylios dum vicerit annos.
Nunc verò tenui spatio, cursuq; dierum
Tot Decorum numerosa pati dispendia; quanti
Materies luctûs! non pridem palpebra flevit
Occasus & busta Trium; jam sæva recenti
Vulnere grassatur Lachesis. Nunc attere cælum,
Nunc adamanta move, nunc immortalibus aurum
Sculpe notis, quantus Domino surrexit honore,
Armorum imperio, vivum post funera nobis
Redde Ducem. Comis vultu, nunc ille togatas
Consilijs arces animet; nunc vindice ferro
Dejectos in humum, soleâ calcante veredi
Thracas tundat Eques, Vivos intercipe vultus,
Efforma similes, & dum pretiosa labore
Marmora sollicitas; nostrū, Tibi pandere normam
Munus erit. Iam castra vide funesta dolentûm.
En veniunt! en triste gemunt! da vocibus aures.

Trium Lubomirsciorum *fata intra breve tempus*, Francisci, *Cap. Olßt.* Heraclij, *&* Josephi *Mareschalcorum.*

Dolor *publicus, Mnemosynen edocet de morte* Hieronymi Lubomirski, *simulq; monet, ut eundem immortalitati exprimat.*

Efformatum Principem æternitati Mnemosyne ut seriem gestorum ejus discat; Dolor, *inducit loquentem* Patriam, Prosapiam, Austriam, *&c.*

POLO-

POLONIA

Patrem Patriæ & Primum Senatorem extinctum plorat.

PRima coronatos luctu ſpargente capillos
Lechia funus adit, planctusq; orditur acerbos:
Indulgete meis, crudeles verbere Parcæ
Indulgete malis! Belli concuſſa tumultu,
Poſt diras populi cædes, Vrbesque ſepultas
Ruderibus, profugis inter deſerta colonis;
Vix animam, pavidoque trahens ſuſpiria corde,
Immorior buſtis hodie, cum funere *Patris*
*Tutoris*que mei! dubio diſcordia motu
Seditioque biceps, proprijs mea viſcera telis
Dilacerat, gladiosque parant in colla furores,
Æmula diviſos rapiunt ubi prælia Cives.
Nunc iterum vis aucta redit, nec docta medelam
Ferre, recrudeſcunt geminatis vulnera morbis.
Cum DVCIS aſpecto funus, mihi pectoris excors
Vita ſilet, gelidoq; ſtupent cum ſanguine venæ.
Nos eadem jactura premit. Communis utrique
Vmbra diem, cum Sole rapit. proſternor eodem
In tumulum caſu. Veluti ſi, pondere cæli
Portitor eliſis rueret cervicibus Atlas,
Deciduus lapſum pariter ſentiret Olympus.
Viſtula! qui pleno lachrymoſus gurgite turges!
Dic mihi, dic populis, quæ detrimenta revolvo,
Extinctũ quem ploro Ducem? Vos conſcia Martis
Arma, Senatorum vos Laticlavia teſtor,
Enarrate Virum, ſeriemque evolvite laudis.
Mæror enim mihi verba negat, tamẽ arida cogam
Præruptis etiam ſingultibus ora fateri.
Hûic ego Natales felici ſidere Cunas
Et Patriam Lucina dedi; mihi reddidit illam,
Hoſtibus ereptam Latij virtute Camilli,
Conſilioq; togæ, (Superûm velut axibus Orbem)
Erectam ſolidè; tutam ſimul adſtite ferro,
Et Libertatis pretioſam, reddidit, auro.

Primo-

Primores Generis, Majeſtatisque Parentes
Romano de colle vehit, cognata Quirinis
SRZENIAVITARVM ſociavit Nomina *Druſis!* *Vetuſtiſſima* Lubomirſciorum *Proſapia à Druſis Romanis.*
Majorum titulos, celebrataq; geſta per orbem,
Exhibuit virtute pari; nec imagine tantùm,
(Vt pleriq; ſolent) ſed Avos hæredibus auſis,
Patritiosq; manu propriâ ſignavit honores,
Dignus gente Nepos; primo qui flore juventæ *Prima ætas Principis, pacis & belli artes diſcit.*
Ceu ſuavem peragrans exercitus aliger Hyblam
Jam violis, jam labra thymo, fragrantia paſcit;
Ille per hiſtoricæ pariter campeſtria chartæ
Exſpatians viſu, relegens documenta futuri,
Pacis & armorum didicit feliciter artes.
Sive redaccenſam prudentia lumine mentem *Ad publicos Regni Conventus Nuntius à Palatinatu Cracov. frequentiſſimè deſtinatur.*
Tergeret innubi, rectoq; prodeſse doceret
Conſilio, vocis ſeu libera jura Polonæ
Flecteret, & dominos regeret moderamine ſenſus.
Tarpeja qualis Fabius Dictator in arce
Prætextatus adhuc potuit conferre Senator,
Et ſenio jam digna loqui; regina ſtupebat
Libertas, reducem Pyrrhi mirata Cynæam.
Hunc ubi ſuadentem Lechici audivêre Quirites, *In publicis Regni Comitijs Mareſchalcum agit.*
Creditus Arpinas rationes promere belli,
Aut pacis planare viam, cohibere rebelles
In Patria motus, conjuratisq; timeri. (nobis?
Quis tibi tunc Othomanne metus? quæ gaudia
Cùm *Lubomiriæ* commiſſus Scipio dextræ
Bella minaretur Scythiæ, contraq; Gelonum
Arma triumphali nutu decerneret Hæmum:
Aut eluxatis crebro luctamine belli
Viribus, Arctoo reſpiria quæreret orbi,
Expulſamq; procul terris & in aſtra receptam
Suavibus illicijs revocaret ab æthere pacem.
Allobrogum facunde ſtupor! Regisque diſerte *Regis & Reipub. Legatus ad Duciſsam Sabaudiæ, & ad Galliarum Regem, à quo aureo torque donatur.*
Liligeri Torquate ſiles! montana Sabaudæ
Obvia Pyrenes cui ſurrexêre loquenti;
Tardus Arar ſiſtebat aquas, & Sequana blandis
Fluctibus adlambens geminæ dedit oſcula ripæ.
Ereptura decus Lechiæ devinxit honore
Promptaq; congeſsit pretioſos Gallia torques.

Armis juvat Patriam, secutus Joannem III. Electum Regem; ab eodem in Comitijs Coronationis Vexillifer Regni declaratur.

SicTua me consulta juvant, sed & arma tuentur,
Victor ubi domito Chocimenses Bistone laurus
Vicinum Sceptri radijs Titana secutus,
Terrifico mucrone metis, solitusq; frequenter
Castrenses tractare Aquilas, assvescis Honori,
Rege coronato, Lechici VEXILLIFER orbis.

Cosacos domat ad Winnicam.

Cùm famuli furerent motus, cùm triste pararet
Exitium rurale chaos, ceù vipera matri,
Auderetq; suas gladijs opponere falces,
Et scelus Æde Sacrâ clausum, velut arce, tueri,
Impatiens servire genus, victore fatigas
Alcides humero, Lernæas terror in Hydras.
Conscia feralis Tibi quis *Winnicia* pugnæ
Sensus erat? tunc quandò (tuo vel nomine teste)
Victa fateretur Domino cogente reatum,
Gens inculta quidem, rudibusq; exercita rastris,
Ambitiosa tamen, conatibus ausa superbis,
Sarmaticos inter Proceres ambire Senatum.
Agricolæ quondam Romæ juga nempè sequētem,
Non infæcundis operoso Consule campis,
Rustica Rosiaci voluit Bellona Coloni
Fortunam captare parem: pro vomere tela
Sumpsit, & iratas vibravit in arma secures
Bobus adempta, velut cervici frena daturus
Quinctius abjecto fieret Dictator aratro.
Agnovit, tardèque furor se in sanguine vidit

Excisâ Civitate rebelli, Cosaci se munitissimo Templo includunt.

Fæditragis penitùs cæsa cum stirpibus urbe.
Dum flueret torrente cruor; tunc proxima morti
Barbaries, Divina petit, tunc pallet ad Aras
Territa, munitiq; subit fastigia Templi.
Objicite ingentes fossas, tumuloq; parate
Exhaustâ tellure, locum, confidite muris;
Altaq; Caucaseos in valla reducite montes,
Securum sceleri nunquàm præstabit asylum.
Det spatium fortuna licet, graviora moretur
Tela manu, clypeoq; brevi defendat inermes,
Invenient sibi fata viam, sibi vulnera pectus,
Invenient nocui pænas, & pæna nocentes.

Ibidem, recusantes deditionem, expugnantur.

Expugnati aditus, exuta rebellio castris,
Perfidiam vel cæde luit, vel vindice flamma,

Aut

Aut juga ſervili tulit indignantia collo.
Incolumes victrix oleas clementia miſit.
Sprevit inhumanæ præceps vecordia gentis;
Ergo taxus ei, victori laurea ceſſit.
Scilicet adverſans Divis, debebat ad Aras
Impietas totum profundere cæſa cruorem.
Fregimus Æmathio ſtipatum milite Martem,
Nulla cui ſuaſit juſtos injuria motus;
Sola propinandi ſitis inflammata cruoris
Regnorumq; fames furias excivit ab orco,
Caſtraq; Moldavis juſſit diſponere campis.

Ad Chocimum Turca metatur caſtra, Vkrainam nobis eripere volens.

Arva propinqua Tyræ, noſtro poſſeſſa labori
Aggreditur, vanoq; ſpei jam devorat ore,
Iam gladio ſignat metas, & limite profert
Longius imperium. Quippè rabioſa Tyrannis
Quâ ſemel exarſit, nunquàm compeſcit orexim,
Quidquid habet, minus eſſe putat, majora palato
Arrident avidis ſatiari neſcia lucris.
Potus hiat, tantumq; cupit, quantū hauſit avarus.
Ivit in adverſas *Sobieſcia* Gorgones *Ægis*
Defenſura meum validis obtentibus orbem.
Ducit in arma Viros, quos illice gloria nutu
Et Patriæ reparanda ſalus monet ire ſequaces.
O quantùm adſultavit aquis *Lubomirius Amnis*!
Cùm ſeſe aggeribus præceps infunderet illis,
Nuper ubi dextris avibus, ridentibus Auſtris
Fortunam Patriæ victrici vexerat Argo.

In eodem campo, quem Avus Stanislaus Lubomirſki *victorijs ſignavit, arma contra Turcam vibrat.*

Vtq; Nepos campum, lauru conſpexit avitâ
Florentem repeti, proavisq; vireſcere palmis;
Pectore magnanimo fortes ardeſcit in iras.
Totus Avum, Patremq; refert, vultuque manuque;
Talibus incendens animum: ſi profuit unquam
Majorum comitante ſequi veſtigia paſſu;
Nunc mihi profuerit, nunc arva loquentia pugnas
Et proavis manibus plantatas cernere lauros.
Hâc ibat Simois, hâc barbarus ibat Araxes
Advena Strimonijs ſtetit hic exercitus oris.
Hâc domitor proceſſit Avus, ductoreq; paſſu
Lechica Signa movens, aciem calcavit Eoam.

Arma

Arma sequamur Avi; *Drusorum* præduce famâ;
Drusorum virtute cadat, qui concidit hostis.
En clypeata seges, rigidæq; hastilis aristæ
Hoc ferrum expectant, hoc in obvia colla ruamus,
Destinat hostiles messi fortuna maniplos.
Dixit: & implexas cydares rimatus aheno,
Dux alijs, sibi miles erat. Non ille ciebat (ces
Voce priùs, quàm Signa gradu; simul ore, sequa-
Et gladio præcessit equos: armabat inermes
Vindicijs animos, ultoreq; Numinis ausu,
Odrisiæ terror Lunæ, tot funera stravit
Pugnaci dejecta manu; quot contigit ense.

In Austria, pro Imperio & Christianitate præliatur.

Promovit Bellona pedem, transcendimus Alpes
Norica terra tuas. fractis cervicibus hæsit
Bosphorus. Imperij Sacram defendimus Arcem.

Declaratus Mareschalcus Curiæ Regni.

Hinc meritis comes ibat Honor, quē Curia Regni,
In dubijs Columen rebus persensit, eundem
Publica Regnantis fulturum pondera Sceptri
Scipio porrectus manui deposcit Atlantem.
Non ego jactanti Cives & bella Quirino
Invida *Cornelios* rapiam, quibus Africa famam
Dedicat, & titulos manceps Asiaticus auget;
In LVBOMIRIIS radio meliore coruscant
Scipiadæ, pacis Soles, & Fulmina belli.
Meta Mareschalcæ, nec erant extrema, Columnæ
Accessêre novi geminato murice fasces.
In varijs experta fidem, pretiosaque Magni
Advertens merita HIERONYMI, non vile dicavi

Tandem Thesaurarius Regni.

Tutelæ pretium. Illi *Thesauraria* Claves
Crediderat Fortuna meas, atq; aurea Regni
Libertas commisit opes. defenderet aurum,
Aurea Pannoniæ Getico qui poma Draconi,
Raptaq; Germani vindex æraria Sceptri
Eripuit; Patriæ gazas expenderet ille,
Qui proprij toties dispendia Sanguinis egit

Patria Srzeniavam appretiat, fluvijsq; auriferis præfert.

Propugnans commune bonū. Tunc præter Iberos,
Vistuleis, *Srzeniava* Tagum superaddidit undis,
Nostraq; felici ditavit littora censu.
Tunc madidas contempsit opes; divesq; rubenti
Erubuit Pactolus aquâ; tunc Lidia victis

Flucti-

Fluctibus indignans, aurum volventia, torvo
Illa Midæ veteris, despexit balnea, visu.
Ipse manu, Sceptrum tollens Regale, tridentem
Spumosumq; caput, terras prospexit & undas
Nereus inclamans: ô gens affinis aquarum
Neptuniq; domus, varijs circumflua terris,
Non inopem te credo quidem, de munere sortis.
Flumineas Thetis miratur Iberica gazas,
Et pretium reperire domi, nec habere fodinas.
India Gange tumet, Nymphe Gangetica gemmis.
Ambit Erythreas præstantior unio conchas.
Pallet aquosa genis, at sæpè Ligustica Doris
Addit inornatæ rubicunda corallia formæ,
Littoreis electra legit projecta saburris,
Inter hyperboreos, Balthis celebrata Triones.
Purpureis Aurora fretis, Pontusq; superbit
Murice, Sidonijs tincturo vellera guttis.
Vincimur ô gentes aqueæ! fluviatile vulgus
Vincimur! Eridanum superavit, & Istula Gangem.
Iam mea Sceptra tenet *Fluvius regnator aquarũ.*
Iam vilescit inops Hermus, *Srzeniava* triumphat,
Thesaurum Patriæ pleno dum gurgite defert.

Neptunus primatum Srzeniavæ cedit.

Finijt, & cedit primatum Nereus *Amni.*
Hic mihi præ reliquis fuerat, cui credita sortis
Cymba meæ, tuto direxit carbasa flatu.
Ingruerant Pelago validis adversa procellis,
Prædariq; meam non unus Colchida Iason
Per liquidum properabat iter. Deterrita fatis
Hieronymum supplex adij; Clavamq; Ducalem,
Et sparsas acies, (juvat heu! mea damna fateri)
Serò nimis, post bella dedi; tunc danda fuissent
Iura Duci, cùm parva minùs discordia posset.
Ille nec hìc deerat, licet illi Signa deessent
Concordi non juncta fide. Quid livor inique
Tela paras? expende vices, & tempora rerum!
Laudabis, quæ facta notas. Mars exterus arma
Ducit ubi victore gradu, profugosq; secutus
Regnorum sese medijs inviscerat oris,
Tunc rudibus dare tela viris, augere cohortes,
Exercere manum, quid vanos juverit ausus?

Patria Clavam offert in summo Regni tumultu & dissidijs.

Tunc,

Tunc, ubi divisis affectibus imperat ira,
Quiq; petunt hostem, sibi mutua prælia dicunt,
Hic pugnat, latet ille mucro; dum castra tumultus
Et Mavors Civilis habet; nec scitur, an hospes
Attonitæ miles domui succedat? an hostis?
Et tamen hos fluctus inter, mediasq; charybdes,
Remige servato, ventis pelagoq; timeri,
Naucleri prudentis opus. Narrabitur orbi
Vis matura Ducis, servataq; Civibus ætas,
Quæ laurus & bella dabit non dispare voto.

Lechia Honorem adit, à quo Celsissimo Campi-Duci, Castellanatus Cracov. & supremũ armorum Imperium defertur.

Virtutem stupui solidam, simul ampla petivi
Tecta Coronarum, nataleque limen Honoris.
Hic Fasces conquesta pigros, trabeasque jacentes,
Admonui pensare moram. Surrexit ab alto
Frenatosque *Honor* intorquens temone jugales
Bellica pacifico subijt tentoria curru.
Ille triumphali metuendus acinace, densas
Pervolitans acies, nunc protendebat utrinque
Cornua, nunc arcto ponebat in ordine turmas,
Et pedites certâ statuebat lege phalanges.
Eminuit cristatus apex, sculptura refulsit
Tersior armorum. Vivax cervice veredus,
Herousque Ducem signabat in agmine terror.
Mox lateri succeslit Honos, & pulvere belli
Resperso sabulo, pretiosis Fascibus Ostrum
Compsit, obarmatæ detergens frontis anhelos

Primâ Senatûs purpurâ decoratur.

Murice sudores. Primâ, quæ, luce Senatum
Purpura, ceu Princeps, ornabat, lumina sidus
Emeritũ complexa Ducem, propè Sceptra locavit
Regali trabeæ, Majestatique propinqvum.
Præmia longævi meruerunt tanta labores,
Condigno sat digna dedi, majora parabam.
Summus apex fuerat. potuit tamen ille Coronis
Crescere, ni Patriam Clavâ defendere mallet,
Quàm Sceptris miscere Tonans discordib9 orbem.
Sed quid eheu! refrico, laudato vulnera luctu?
Quid nondũ extinctum geminant fomenta dolorẽ
Ad gelidos *Cineres?* Habui Patremque, Ducemque,
Amissum ploro. Communi vivere sensi
Quem gavisa bono; Vixit, decedit utrique
Parta

Parta ſalus. geminæ buſtis accedimus umbræ.
Egit ad obſequium Patriæ tot luſtra; ſed egit.
Iam queror abſentem, jam funera ſola ſuperſunt.
Spes abiêre meæ. Nec Te felicibus aſtris
Invideo, dignos veneror mercede labores.
Affulge, quà parte voles prænobile Sidus,
Et medias habita luces. noſtrumque ſereno
Orbem cerne die. Fama immortale perenni
In ſucceſſuris mihi vive Nepotibus ævum.

PRINCEPS PROSAPIA HIERONYMUM AUGUSTINUM LVBOMIRSCIVM *deplorat*.

ADſtiterat Lechiæ, velato lugubris ore,
Et conſanguineo circumſtipata Senatu,
In luctum dejecta tenens LVBOMIRIAS Arma.
Ordine confuſo (nam talem funera poſcunt)
Aſſiſtunt lateri mutato Numina cinctu.
Sidoniæ cecidêre togæ, funeſta lacertos
Vmbra tegit, lamenta Viris etiam exprimit angor.
Dant lacrymas, licet ora manu lacrymãtia frenent.
Illa Palatinos madidato lumine cætus
Intendens: Oculisné, (ait) an luctante dolori
Ore querar? deplorandis admota feretris
O Spes! ô noſtræ Majeſtas inclyta Gentis!
Ingens illa mei fuerit fiducia voti,
Non tamen eventu ſubterfugit irrita vano,
Quâ Tibi ſupremos optabam provida faſces;
Vt Patruo, Proavoque Nepos graderêris honore
Celſior, antiquisq; dares nova lumina Ceris.
Poſſedi donante polo, quæcunque popoſci,
Teq; paludatos inter ſubſellia Regum
Præceſſiſſe togâ vidi primate Quirites,
Purpureum rexiſſe latus; pariterque Gradivo,
Ac trabeis egiſſe Ducem. Quæ gaudia noſtram
Implevêre Domum! quantos promiſimus annos!

Armorum & Senatoris Dux, primus Senator in Statu Sæculari.

Heu

Heu rerum non certa fides! breviantur in uno
Sæcula momento. Tragicum fortuna cothurnum
Sumit, ut assurgat, punit solatia luctus.
Huc oculos, huc ora, precor, convertite *Drusi*,
Hic spatium famæ, quàm celso vertice crescat,
Cernere, & immensâ metiri juverit *Umbrâ*.

In Lubomirsciorum *Domo varij & Magni honores.*

Augusti nostram, fateor, dignantur Honores
Sæpè manum, fulsit dives *Majoribus* Ostrum,
Vellere præclari Tyrio fulsêre Nepotes.

Explicuit Vexilla manus, Regnique Ministris
Tota videbatur dominari Insignibus ætas.
Drusorum Domui venêre faventibus alis
Sarmatides Aquilæ; vix non ab origine gentis
Scipio Regnantis felix anteambulo Sceptri
In nostris crevit manibus; dotale Polona
Depositum fortuna dedit. Nos Clava poposcit
Sæpius; Imperijs heroos reximus enses.
Sat *Cracius* tulit Illustrissima sidera Murex,
Luce *Palatinas* exornatura Curules.

Majores præcedit honore, & Avum Palat. Cracov. factus Castellanus Cracoviensis.

At præcessit Avos; nec enim vestigia Patrum
Contentus virtute sequi, majore præivit
Hieronymus, vicitque gradu. Splenderet ut orbi
Magna Domus, Proavi Solem provexit Honoris
Altius, intenditque jubar, primosque vibravit
A Solio radios, titulis & murice Princeps.

Ad honores, gradu meritorum processit.

Sarmaticas armavit Aves, campoque Gradivi
Assvetas, docuit jaculari fulmen in hostem.
Celsa Mareschalcæ tenuit gestamina dextræ;
Libertatis opes censu nutrivit alumno;
Iura dedit gladijs, gladios & funera victis,
Supremum conscendit Ebur, culmenque Senatûs.
In plures partitus honor, collegit in uno
Munera. Sistit ubi multis, hinc promptior illum
Ad summos apices duxit fortuna gradatim.
Hoc fulsit cælum omne DomûsTitane. Sed eheu!
Occidit! haud ullo Sidus revocabile fletu.

Domus tota luget occasum magni Sideris.

Ac, velut emensum spatijs illustribus orbem,
Flammivomis prægressus equis, terræque calentes
Largitus radios, tumulum sibi quærit in undis
Cynthius; umbroso luctum testatus amictu

Vesper

Veſper adeſt ; Surgit Phæbè, palletque maritò
Triſtis in òccaſu. Dominum tunc luget Orion,
Tunc magìs intendunt oculum, funusq; Parentis
Nictantes pavidò proſpectant lumine ſtellæ.
Vos pariter lamenta decent Illuſtria cæli
Aſtra mei, cum luce diem, rapit ùmbra ſepulchri.
Solis ad occaſum vigiles adſtate Planetæ!

Amotis, utinam, caput eluctabile buſtis
Erigeres ô PRINCEPS! aſpecturus in unò
Funere tot gemitùs. Viduos mærore ſodali
Affligit thalamos feretrum, myrteta Cupreſſi,
Extinctasque thori, mutant funalia tædas.
Prole PARENS comitata velut Dictinna minores
Igniculos inter, defunctò Conjuge pallet.

Parentat lachrymis Conſors thori, Illuſtriſſima Caſtellana Cracovienſ. cum Prole mœſtiſſima.

Eja! ſed! effuſos tantiſper Pignora fletus,
Et ſingultantem compeſcite pectoris æſtum;
Sollicitas aures, tumuloq; affigite mentem,
Patria quid magnis Hæredibus *Umbra* loquatur:

Celſiſſimi Parentis Manes benè ominantur Filijs.

Tangunt, hæc Veſtri luctùs impendia, Manes,
O Soboles! pietate memor, quem palpebra luget
Exanimem, Cor ſpiret Eum. Licet ultima venit
Communi mihi lege quies, Tu grata Propagò,
Moribus & vitâ fac ſemper vivere Patrem.
Ingenuis ducat Majorum prodroma Virtus
Paſſibus, & pulchros animum ſuccendat in auſus.
Aſpiret votis cælum, Superiq; ſecundo
Indolis eventu, præſagia certa coronent.
Pro Patria, cataphractꝰ Eques, quos educat Hæmus,
Aut Bizantinos Rhodopè monſtroſa Dracones,
Invictâ proſterne manu. Mæotidis angues,
Lunatasq; ſtyges, domitor compeſce GEORGI;
Præcedat tranquilla diù Fortuna IOANNEM,
Et deſcendentis comitetur *gratia* cæli.
Euphratem, Gangemq; domet populator Eoi
Solis ALEXANDER, (nomen ſi fata relinquent)
Faſcibus & faſtis Genitorem vince Philippum.
Hæc Patriæ ingeminant Vrnæ, lacrymasq; frequēti
Eliciunt oculò. Nec Te cognata GEORGI
Non lugere ſinit pietas. Sibi magna IOSEPHI
Decreviſſe putant magno ſolatia damno.

Lubomirſciorum *Domus tota luctum induit.*

Dat MICHAEL ad Iusta libras; sua pōdera quippè
Luctus habet gravior. Patruo THEODORE parētas!
Vulnꝰ hic est FRANCISCE Tuū; nā vibrat acerbȝ
Tela dolor. Crescit IOSEPHI nomine luctus.
Plejades occiduum Solem, Domus atra Parentem
Hectora, Sarmaticum plorant Heròá Lacænæ.
Attonitus mœrore stupet, totusque rigescit
In gelidam Nioben, tanto de funere *Sanguis.*
Flere jubet, cogitque, frequens violentia fati.
Sæpè redux, gravior jactura; nec ulla ferocit
Plaga magis, quàm crebra nimis. Vix ille dierum
Arbiter, emensis aliquot gyraverat Astris;
Heu spatio sat longa brevi, dispendia sensi.
Damna velut traherent anni, semperque nefastus
Climacter, fato non respirante veniret.
Vix Soles abiêre aliqui; tot busta, tot Vmbras
Quærimus & querimur. *Cineri* confusa sepultò
Infortunatis decurrit clepsydra lustris.
Tot vitam rapuêre Viris, quibus ordine tardo
Volvere debuerant adamantina stamina Parcæ,
Heu! nimis adversi riget inclementia fati,
Si ferale jubet solvi vectigal in annos:
Indulgete precor nostris ô Sidera votis!
Nestoreos vitæ currus mandate rotari,
Amplaque Sarmaticis impendite sæcula *Drusis.*

Intra breve spatium plures Lubomirij *defuncti.*

AVSTRIA PROPVGNATA
S. R. I. Principem, Defensoremq́ obijsse dolet.

ARmorum in strepitu funestæ nuntia famæ
Vulgantesq́; tubas, pavidâ vix cōbibit aure,
Et didicit *Comitem* extinctum, demandat eburnos
Austria produci currus; Aquilasque bifrontes
Imperij, cogit dominis assvescere frenis.
Prægreditur montes, riguas & flumine valles,
Æthereum decurrit iter. Simul attigit Arcton
Vistuleam; densas acies, pharetraque Lechi
Agmi-

Agmina, circumagens curru, pullata petivit
Limina, & illuſtres Ceris ardentibus umbras.
Attonitos Procerum vultus, ſqualentia nigris
Cernit caſtra togis, pavidæque ſilentia pompæ
Talibus abrumpit: *Comitum* præſentia, Princeps
Imperij, vindexque meæ tutela Coronæ!
Luctibus aſſocio luctus. Ingrata videbor
Fors cui, ſi revocent ipſi benefacta dolores,
Impenſoq; mihi lachrymas pro ſanguine fundam.
Non tamen exactos (ter Celſi, credite *Cives*)
Danubij ripis, & Rheno teſte labores
Vocibus, aut linguæ tenui mercede paciſcor.
Illibata manent dignarum præmia laudum,
Æternis inarata notis, memorique Minervâ.
Publica flere jubet pietas, dumq; arma feretris
Adſpicio dejecta vehi, ſuccumbere fatis,
Vindicibus nuper gladijs mea fata levantem;
Verba rapit, ſævusq; acuit ſuſpiria mæror.
Ergo triumphales, umbris ſuperantibus, ignes
Dux extincte cadis? qvo Vindice nuper ad Iſtrum
Surrexit fortuna mihi, medijsque fatiſcens
Ruderibus, ſtetit integritas immota. Tuamné?
Mirari venio mortem, cui debeo vitam?
O! ſi quæ ſupereſt tacitis præſentia buſtis
Notities Letho? tranquilli cernite Manes.
Imperium quis luctus obit, mæſtisque vagatur
Vrbibus; omne forum populosâ murmurat undâ
Defunctum narrante Ducem. Sacraria Divûm
Cæleſtesque aditus, non ſveta ſilentia terrent.
Facta metu quodam gelidantur ſaxa Viennæ.
Perculſis turrita tremunt faſtigia conis,
Et ſpectant pavidos arrecto vertice campos,
Raucaque præſagis lugent tinnitibus æra.
Iam *Lunas* redijſſe putant, Scythiæq; pharetras,
Iam circumfuſis replere phalangibus arva,
Et Flaviam validis præcingere ſæpibus Vrbem.
Confuſus trepidat fugitivis fluctibus Iſter,
Barbarus inſtaret Phario quaſi navita conto.
Sulphureo torrente ruens urgere procella
Fulmen,

Imperium fato ſui Principis indolet.

Imaginatur ſibi redire obſidionẽ, Turcarum Vienna memor.

Fulmen, & ærisonæ fauces ructare videntur.
Ceu rueret, flammæ, fæcundaq; machina ſtragis.
Effoſſis procul arma vijs, terræque meandris,
Mœnibus inferri tacito creduntur ab hoſte,
Vulneris & lethi veluti contemptor in alta
Surgeret Odryſius pede propugnacula miles,
Retruſusq; novo fureret vehementior auſu,
Captaret manibus turres, vexillaq; muris
Figeret, audaci per ſtrata cadavera niſu.
Beſsarabû, Dolopumq; metus vel imagine terret.

Principem defunctum vivere effingit ſibi Vienna, qualem olim pro ſe pugnantem vidit.

Hieronymi vocat arma pavens, *Clypeû*que Vienna.
Et cui proſtratis nuper plaudebat Achivis,
Hunc licet exanimem, rurſum ſibi vivere cenſet.
Iam ſummo ſpectare putat de colle volantem,
Decertaturas Geticis, animare phalanges,
Iam terrore ſui, vel nudi fulgure ferri
Sectantem Scythiæ genios, per hiulca cadentûm
Corpora, barbarico gladium demergere tabo.
Auroræ jam ſigna fugat, reſpergit herili
Iam ſanie Cydares, lunatos calcat acervos,
Iam Victor cum laude redit, reſpirat ab æſtu,
Imperio vires, animamq; redintegrat Vrbi.
Talis adeſt oculis. Sed eheu deludimur Vmbra!
Qui fuerat, jam totus abeſt. Iacet ille Tibiſci
(Pannoniæ montana tremunt) defenſor, & Iſtri!

Vltra Moravam fluvium 8. Turcarum, & 12. Scytharû millia, junctis cum Lotharingo copijs fundit & fugat.

Ille *Comes*, *Lotharinge* jacet, cui fœdere pulchro
Arma triumphatum ſociâſti nuper in hoſtem.
Pallet adhuc Moravæ Thetis, trepidatq; referre,
Sanguine quàm largo rubuit, dum provida lucri
Prædarumq; rapax; fines populata Quadorum
Cædibus & ferro; Veſtro, manus ardua Thracum
Porrigeret ſupplex herbam vitamque Gradivo.

Graſſantes Turcarum excurſiones coërcet.

Ille rubris Arabum Coluber deductus arenis,
Iam prope lethali carpebat viſcera morſu:
Suppetias mittebat amor, ſed clauſa viarum
Limina diſcrimen tenuit, nec caſtra ſubibat
Miles adhuc, & jam ſolitus pugnare viator
Threijcijs præventus equis: reſtringere flammas
In ſummis volui tectis; ſed proximus ignem
Vcalegon ſenſit, pagos populante favillâ.

Extin-

Extinxit fomenta mali, pepulitq; venenum
Vulnere, nec totum ſivit pervadere corpus
Obvia Strimonijs Virtus LVBOMIRIA ſignis.
Quòd vagus in Mænum non exundavit Araxes,
Ferrea Biſtoniæ quòd *Rhenus* cornua Lunæ
Mutatis non vidit aquis, nec territus undâ
Æthyopes Arabasque nigros expalluit Albis;
SRZENIAVÆ referat: qui non impunè vagantem
Theutonicis Aſiam domitor divertit ab agris.
Ne *Nicrum* potaret Arabs, aut accola *Nili*
Iret ad usque *Salam*, ne portentoſa Propontis
Caſtraque terrerent profugum pellita *Viſurgim*.

Ne in ulteriorem Germaniam Turcæ procurrerent, armis obſtitit.

Ille viam montes & per deſerta, IOANNI
Fortibus auſpicijs, victoreq; Marte parabat,
Menſus iter, quo tuta brevem victoria paſſum
Cum Lechicis ferret Signis; docuitq; feroces
Biſtonis aſsultus, in primo limine frangi.
Hæc revoco, funeſta, gemens, buſtisq; parento
Auſtria mæſta Tuis. Nec Tecum fama ſepulchro
Conditur; aſſurget multis innixa trophæis.
Te, populi ſervata ſalus, erepta furori
Præda Biſurmanno, memori teſtabitur ævo.
Te propugnatæ certabunt ſcribere pennæ,
Formabitque manus victricibus æra figuris,
Et grave Praxitelis deſcribet prælia celte.
Gaudebit narrare ſenex laudata nepoti
Bella parens, noſtras egit quæ Druſus ad Alpes.
Auſter & Imperium ſcribet Diplomata *famæ*
Principis., æternis inſerto Nomine faſtis.

à Joanne III. ad Viennenſem expeditionē præmiſſus, glorioſè & triumphaliter præivit.

MILITIA POLONA
SUPREMUM EXERCITUū DUCEM
Amiſſum queritur.

BElla cruentatis poſtquam volitantia campis
Ereptum ſensêre Ducem; Clavasq; referri
In ſpolium Lacheſi demirans vidit *Enyo;*
Excedit pugnâ, Lechicis accincta catervis,

Func-

Funereos visura rogos, Heroaq; dignis
Contendit citiùs deploratura querelis.
Pectus ei thorace riget. formidine vultûs,
Tristitiâ geminante minas & nubila frontis.
Vt licuit Proceres ac lamentabile bustum
Attonitis mirari oculis; ter cuspide terram
Verberat hastatâ, tollitque frequentiùs armos
Triste gemens, iterum fixis obtutibus hæret.
Et silet, & tacito confusa remurmurat ore.
Perrupit vix frena dolor, linguamq; resolvit,
Lenior irarum, mediâ de cassìde vocem
Extulit: armatos equidem mea lachryma vultus
Dedecet; imbelles hæc ornet gemma Dianas.
Flere tamen Monumenta monent, tardisq; moveri
In lachrymas oculis, extorquent funera planctū;
Extorquent lamenta mihi. Ducis Vrna meretur
Præfica, ut *Alcidæ* Lechico, Bellona parentem.

In arte bellica temperie quâdam insigni, Ducib9 antiqis præstāt.

Virtutis meminisse juvat, quam judice nutu
Ardua bellorum prudens momenta librabat
Arbiter, & nôrat sine taxo, quærere laurum.
Per cædes, cumulosq; Virûm, Samnitibus instat
Attilius, verùm Romani sanguinis haustu.
Prodigus arguitur Consul, dum funera victus
Parcius enumerat, sentit dispendia victor.
Annibalem Carthago vetus jactaverat orbi
Alpibus infractum, formidatumq; Latinis,
Felicem toties fusâ cùm Consule Româ.
At serò didicit, quantùm docet hostica tellus
Cautius arma geri, patrijs egressa stativis.
Marcellus pugnare ferox; at sæpè laborat,
Suppetiasq; petit, celeri præfervidus æstu.
Præcipitem tardo Pænum certamine frangi
Ostendit Fabius, sed ubi cunctatur & hæret;
Fortius assurgit, castrisq; repullulat Afer,
Et trepidas audet portas pulsare Quirini.
Corneliæ virtutis apex, & gloria gentis,
Scipiadæ, bellis Asiam Lybiemque fatigant;
Ast odium meruêre domi, nec Principe Cives
Affectu vicêre togas; alterque sepulchro
Quærit humum, Domitor terrarū, victor & exul!

Hoc

Hoc Duce temperiem Virtus Fortunaq; junxit.
Externo quàm tela ſolo prudenter adegit,
Pannoniæ montes, & teſtis Dalmata dicet.

Extra Patriam bella prudenter egit.

Quàm celeri ſumpſit, finivit & alite pugnas,
Acta Zoravnenſi mirantur prælia Campo.
Cùm levibus pharetris, loricataſq; trilici
Non graviter tunicâ ducens ad valla cohortes,
Tempeſtivus adeſt. Orituro Sole, feroces
Auroræ populos, & Martem fundit Eoum.

Celeritas armorum, dum ad Zoravvno Turcas, oppugnantes Caſtra noſtra, cum levibus Vexillis, ſummo manè aggreditur, & fugat.

Promptum ſubſidio vidit *Camenecia* rupes
Æmula tunc Lechis, ubi portis ultor in ipſis
Excutit Odryſiis prædam cum fænore dextris:
Demptaq; captivis, imponit vincula Thraci.

Audaciâ triumphali, ad portas penè Cameneci, cæſis Turcis, captivos eliberat.

Edocuit prudente gradu *ſolertia* tolli,
Præcipites nec inire vias. Iam plena Gelonis
Sarmatiæ Princeps infuderat agmina caſtris;
Stare *Lubomirium* voluit, profugaſq; morari
Beſſarabûm Lunas; Nec ſegniter ille retardat
Biſtona. Ferratas acies, murumque fugaci
Objeit, ac iterum mortes abſumere cogit.

Prudenti ſolertiâ, & maturâ dexteritate ad Chocimum fugientes à caſtris Turcas, oppoſitis cohortibus, retrudit, & neci offert.

Tunc laurū mora pulchra dedit, tunc profuit hoſtē
Expectâſſe foris. Fabium tunc Lechia vidit.
Denique ſervatos Cives tot bella loquentur,
Quæ non armorum rabies, non impetus iræ,
Sed prompti maturâ DVCIS prudentia geſſit.

Prudens Cunctatio & Amor Civium.

Ductoris documenta dabat, cùm promeret artem,
Bellandique modos; crebro nunc eminùs igne
Fata redordiri, nunc ſigna occurrere ſignis
Cominùs, & nudis inter ſtridentia telis
Agmina, quâ luctatur adhuc globus ille virorum
Ferro aperire viam, monitis accendere ſegnes.
Hîc fractas reparare acies, hîc cogere ſparſas,
Aut nimis anguſtas gemino diducere cornu;
Nunc interjectis campum diſtinguere turmis,
Obvia lunato nunc ordine Signa morari,
Nunc inſtare vago properis mucronibus hoſti,
Nunc revocare ſuos, & caſtra reducere vallis.
Qualiter in ſummum validis efferre lacertis,
Directamq; ſimul collectis viribus haſtam
Mergere in adverſo turmati pectore Thracis.

Artes, & præcepta fortia belli, verbo, exemploq; docet.

Quâ

Quâ rigidum ſinuare manu, quàm fortiter arcum,
Et cita ſericeis impellere ſpicula nervis,
Scrutatura ferum lethali cuſpide pectus,
Aut fixura caput redeunti deſuper ictu.
Qualiter in jugulum ſtricto deſcendere cæſim
Enſe, vel illiſum, gladijs elidere ferrum,
Vt clypeatè latus, permittere frena veredo,
Et permiſſa arcere, dolos vitare latentes,
Dura pati, meliora ſequi, perquirere cauſas,
Conſilio niti, docuit LVBOMIRIA Virtus.
Hunc memoro, doleoq; *Ducem*. Fata ipſa movere,
Ni grandes factis, & majeſtate laborum
Pace frui, dignique forent requieſcere Manes.

Triumphale Duci feretrum inſtaurat Bellona.

Æterni *Cineres*, veſtro fragantia buſto
Non mihi Panchæi liquidabunt balſama rami,
Suavia non quæram Nabathæis cynnama campis,
Non ſpargam violas, hyacinthina non dabo ſerta:
Nec roſeas populabor opes, neq; lilia carpam,
Vt virides teneris ponam de floribus aras.
Hæc *Parides* floreta tegant, hæc Roma togatis
Impendat feretris; at nunc armatus Achilles
Conditur, Alcidæ forti monumenta parantur.
Non funeſtet ebur taciturno murmure Leſsus,
Exhauſtâ tenuis non ploret Nænia voce,
Bellaces litui, jurataque claſſica pugnæ

Arma, & exercitum parentare jubet.

Funeſtum Pæana ſonent. Non Miles, inerme,
Depoſitis circum ſignis, præcinge Sepulchrum.
Altè mobilibus plumatam caſsida criſtis,
Squammatoque graves humeris thoracas aheno
Tollite, & aggeſtis tumulum componite ſcutis.
Aſſiſtant vigiles fixâ tellure ſariſsæ.
Baltheus adjectos pharetris devinciat enſes,
Exuviæ Tygridum, maculoſaq; vellera Pardi
Telorum inſternant faſces, undantia flatu
Signa, vel auratis dives coma pendeat haſtis.
Non hic funereæ frondoſo vertice taxi,
Sed palmæ virides, ſed buſtum laurus inumbret;
In medijs ô! caſtra *Ducem* ſepelite trophæis.
In clypeis feretrum, tumbam depoſcit in armis,
Prima cui rigidæ dederant cunabula parmæ,

Tota;

Totaque in armatis discessit mensibus ætas.
Conveniant Equites turmæ, cervicibus aurum
Excutiat sonipes; olim rectore superbus
Principe, funereis nunc indignetur habenis,
Et Dominum, terræ impatiens, exambiat Æthon.
Adstet, deciduis Majestas bellica Signis,
Et dignata Sago misceri *Purpura* ducat
Conferta Proceres acie, cataphracta parentent
Agmina, surgentes ferrato vertice contos
Frangat eques; leviorque breves lorica sarissas.
Evinces fatale chaos, fortissime DVCTOR,
Posthuma laurigerum spirabit fama per ævum.
Nec Tu Letheis oblivia nata procellis
Invidiæ nec tela time. Defenditur ense
Nomen, & in medijs vivit Tua gloria Castris.

FVNDATORI
PROVINCIA POLONA SCHOLARUM PIARUM
parentat lachrymis.

FVnebribus tandem venit sociare querelis
Præfica *Relligio* meritos *Calasantia* luctus.
Tota metu pallet; toto singultat anhela
Pectore, nec tam verba; gravi quàm nata dolore
Manantes inter lachrymas, suspiria fundit:
Nunc agedū! nunc mæror ades! populare feroci
Me totam imperio! diffringe repagula cordis,
Angusta fauces, pupillas obrue fletu,
Perque genas riguis decurre per ora fluentis.
Nunc innecte man9, nunc tende ad sidera palmas;
Dum mihi crudeles rapiunt solatia Parcæ;
Vitaque demoritur, cujus de munere vixi.
O Decus! ô rerum Columen prægrande mearū,
Spes & Præsidium! Sic Te citus eripit æther?
Nec patitur vivente frui. Luctatur in astra
Provida mens inopis turbæ, semperq; clientûm
Prospiciens pupilla bonis, heu morte fatiscit!
Nunc quoq; munificæ vellent (quid fata negatis?)
Donâ manus largos miseris profundere census,
Nunc quoque, eheu lacrymæ! Sed forsan frena modesti

Rumpimus affectûs, æther ignosce dolori!
Hîc Superûm quoque causa labat. Deflebitis Aræ,
Altaq; Cælituum visis penetralia damnis.
Munificentissimus Ædium Sacrarũ Benefactor, fundatas Ressoviæ Scholas Pias, Paterno affectu fovet.
Ille! Sacras Divûm, qui tot regalibus ædes
Illustravit opum radijs; vel turribus altas
Numinis in cultum jussit consurgere moles,
Qui Fidei *Pia Castra* dedit, qui Signa MARIÆ
In *Calasantino* Mæcenas Ordine fovit.
Ille jacet! jacet illa Salus, Tutelaque Nostri!
Omnes mæror habet, deplorat Patria Patrem,
Magna Domus magnũ Columen; RespublicaCivẽ;
Tutorem Australes Defensoremque Coronæ;
Et Patrem, & Columen, Protectoremque, Ducemque,
Spem, Decus, Auxilium fleo: lamentabor in Uno
Omnia, quæ summis potui promittere votis.
Complorate Mei! lugete Asceseos Umbræ!
Quas Tanti solata diù præsentia Phœbi
Munifico nunquàm renuit ditare sereno.
Squalleat atratus paries! pallescite muri!
Quos nuper vidit veniens assurgere PRINCEPS.
Addiscant lamenta Scholæ, plorate Minervæ
Signa! Cleantheos ceris funebribus ignes
Palladij miscete tholi! nox, funus & umbras,
Lucubrata decet. Concludant Justa Stagyræ;
Eurippus fundat lachrymas; gemituq; perorent
Rostra, parentales inter squallentia pannos;
Occentent elegos, tragicum vel dramma Camænæ;
Discens ritè loqui, minorennis Pallados agmen
Nunc LUBOMIRIUM pennâ deploret, & ore,
Nunc Superûm requiem clamosâ voce precetur
HIERONYMO; doctis *Mæcenas Maxime* fastis
Æternabit Honor Tuus, ac oblivia vincet.
Te scribent memores calami, Te lingua loquetur,
Nec tener affectus desistet laude renasci.
Vidimus ô PRINCEPS! totum Te impendere nobis,
Cordi suo tumulum in Ressoviensi Scholarum Piarum Templo destinat.
Nunc Cordi placuisse Tuo, meruisse Paternum
Nos animum demonstrat Amor, qui lipsana Cordis
Committit fidei nostræ, bustoq; perenni.
Nec tumulum COR quære alibi, Tibi pectus apertũ est.
In crystallo dabit lachrymas; & carmine Magnæ
Relliquijs Animæ pietas æterna litabit.
Totaq; funereos *Calasantis* habente colores
Veste parentabit; Tibi semper præfica vivet;
Nec luctum, nisi cum vita simul, exuet unquàm.



